

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
1035

1033

1039

1029

1044

1024

1084

0984

0934

0534

0034

Ende

Anfang

462

et mirabilem fatigam cum peregrino illo habuimus. Tandem
Deo auxiliante (**47 a**) in verticem montis Synai veni-
mus, ad angelicum sepulchrum beatissimae virginis S. Catha-
rinae. Procidimus ergo et cum devotione locum sacri cor-
poris per angelos apportati deosculati sumus et indulgentias
acepimus (†), decantantes prius, quae signata habuimus in
processionali terrae sanctae. Porro post orationem consedi-
mus, et inceperunt flagrare desiderio panis et aquae et quili-
bet optabat se habere secum sportam suam et amphoram.
Nescio autem, qua providentia accidit, ut ego solus mecum
haberem sportam cum paximatis, ovis duris, carnibus fumi-
gatis, et caseo, quae pro me ipso tuleram, alii omnia sua infe-
rius cum peregrinis remanentibus dimiserant, et videntes, me
esse provisum, congratulabantur quidem mihi et providum
me praedicabant, sibi ipsis vero indignabantur de negligentia,
et petebant me unus, ut darem sibi pauxillum panis, alter mo-
dicum carnis, alias parum casei et panis, alii haustum vini
quaerebant o me. Hoc ut vidi, jucundatus fui et nulli quid-
quam dedi, sed sportam arripui et omnia, quae in ea erant,
in concavitatem petrae, quae juxta nos erat, effudi in loco,
ubi caput S. Catharinae positum fuerat, et tali facetia usus
nobiles et peregrinos invitavi dicens: ecce, domini mei,
provida dispensatione factum est, quod hic omnes vos sitis
hospites mei et ego habeam solus expensas, quod libentissime
faciam, utinam laute vobis procurare possem. Nam ecce in
hac domo, in ista camera, in hoc lectulo habitavit et quievit
dulcissima sponsa mea S. Catharina ultra trecentos annos a
sua passione, quae mihi in juventute desponsata inter omnes
coelestis regni pretiosissimas virgines deifica sorte a me electa
est, denique in ejusdem virginis festo anno 1452 ejus amore
saeculo renuntiavi et habitum fratrum Praedicatorum accepi,
et anno revoluto eodem die obedientiam publica et solenni
professione promissi, sicque perpetua obligatione me in Dei
servitium et in hujus virginis obsequium mancipavi. Venite
ergo omnes, quotquot estis, et cum laetitia edite. Accesserunt
ad hanc invitationem omnes, et cum multa laetitia manduca-
vimus ea, quae apud nos erant. In hoc convivio erant co-
mites, milites, sacerdotes, religiosi, insuper alii erant ibi

